

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CCXXXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

cumque sciremus optare eum sibi virum, præter cætera, autoritate etiam spectabilem, nominavimus præ omnibus D. D. Jeremiam, quem si nobis permittere nolleret, petimus, ut vel Wirtebergensem à Dn. Bidenbachio missum, vel hunc M. Sebastianum nobis permitteret, inque ministerio conjungeret. Re deliberata, decretum fuit, ut M. Sebastianus reciperetur, reliquis præteritis. Et si autem non pauci à vehementia Spiritus, quæ in D. Jeremia est, sibi metuerunt, boni tamen quique existimarunt, fieri posse, ut ministerio etiam gravis accideret ea, quam præ se fert, autoritas, siquidem, quæ sibi videretur, contra nos etiam facturus, atque ita concordiam nostram perturbaturus esset. Nos, quod decretum fuit, gratum habuimus, & adduximus M. Sebastianum ad Scholarchas, qui eum receperunt nomine Senatus, promissis ei in annum stipendium 150. fl. & decem saccis frumenti, si maritus fiat, augetur ei stipendium, ut habeat illud nobiscum æquale. Tempus adventui ejus non est certum præfinitum, sed permittitur ei mensis unus atque alter. Quod reliquum est, gratiam habemus tuæ H. quæ nobis bono collega prospexit, & vicissim parati sumus ad omnia humanitatis officia vobis etiam pro viribus exhibenda. Colaudamus etiam Dominum DEUM nostrum, qui bene omnia nobiscum fecit. Salutamus omnes nos ministri hujus Ecclesiæ tuam H. & omnes vestros in Domino. Francofurti, 24. Octobr. Anno 77.

T. H.

observantiss.

Petrus Patiens, nomine meo,
& fratrum Collegarum.

CCXXXV.

DE conventu Smalkaldico quod tam altum est silentium, etsi miror, cum soleant ejusmodi actiones tam solennes mox spargi etiam ante eventum; Spem tamen foveo, non sine fructu exiturum, & protractione dagi à Domino consilia, quæ sint salutaria Ecclesiæ. Quod amplissimus magistratus vester in Cælestini postulatione sapientissimè pronuntiavit, se nolle Zuinglianorum confessioni annumerari, argumento est, veram doctrinam se amplecti & tueri constituisse. Atque hoc magis condonandum est, si quid humani patitur ob civiles rationes, quo minus consenserit in subscriptionem, quia spem fovere bonam possumus, vel ad versarum importunitate impulsus iri, ut aliquando plenius suam sententiam patèfaciat. De me quod scribis, intelligo pietatem & charita-

ritatem tuam, ex qua incolatum meum in his terris prolongari cupis. Utinam vero is sim, eaque mea studia & actus, quorum conservatio diuturna frugifera sit Ecclesiæ. Scio dedisse Dominum mihi infirmo organo voluntatem, incorruptam doctrinam asserendi, & provehendi, sed rursus magnam infirmitatem meam agnosco, nec tamen despero, quia virtus Dei in infirmitate perficitur: nec dubito, quin Sanctorum precibus infirmum & tenue ministerium meum fulciatur & servetur, eoque magis te rogo, vir ornatissime, ut quod facis, facere pergas, & Sultzerum ardentibus tuis ad Dominum supplicationibus comendes, quo devexa hac ætate, quod superest breve curriculum, cum bona peragam conscientia & sine beato claudam. Unice simul (credas) mihi curæ esse incolumitatem tuam, ex qua non mediocri ex parte, etiam Ecclesiæ incolumitas pender, sciunt id abundè, quibuscunque Ecclesiæ vestræ status perspectus est, & qui rerum hoc tempore cursum & studia hominum agnoscunt. Sciscitor ego sæpè ex iis, qui isthinc ad nos veniunt, & exulto, quoties te recte valere accipio. gemo autem, quandoquæ narratur contrarium. Cæterum cum Doctore Isaaco familiariter contuli de suo filio, qui primum omnium gratias agit officiosè & reverenter pro perpetua tua erga ipsum benevolentia, & quamquam sciat, non male fore prospectum filio, si apud filiam tuam degat, & habet moderatorem L. Erasmum, consultius tamen judicat fore, si in collegio agens strictiore disciplina utatur, propter ingenii vehementiam, quo sub iugo constitutus minus effervescat adolescens, pronus alioquin ad licentiam, eamque ob causam vehementer petit, ut tua autoritate commendetur moderatori Collegii, ut tanto diligentius in ejus mores studiaque animadvertat.

Misi pridem ad te literas ad D. L. Philippum, filium tuum & Dominum Patientem spectantes, quas à te curatas esse arbitror. Admodum verò ab utroque expeto ad meas responsionem, teque rogo, si per occasionem fieri potest, apud eos efficias, ut rescribant, & bene valeas in Christo JESU cum Uxore, filiis & toto præbyterio. Basileæ 4. Calendas Januarii Anno 78.

Salutant te Coccius & Fæglinus.

T. Sulcerus ex animo.

CCXXXVI.

S. D. Reverende & clarissime vir, amice colende.

OΙγα ἑαυρ ἰκαπίνας γλυκίράτηρον, ἔτι μελίωτας Ἀσθια, quam mihi dulces & gratæ tuæ literæ fuerunt, non solum benevolentia erga me tuæ & candoris sinceri testes,